IOANNIS COLVMBI MANVASCENSIS, E SOCIET. IESV, S. Theologiæ Profeſſoris

LIBER SINGVLARIS.

QVOD PIVS QVARTVS NON damnauerit hæreſeos Romæ Ioan. Monlucium Valentinum & Dienſem Epiſcopum, neque Pius quintus damnationem eius à quarto Romæ latam promulgari curauerit in Gallia.

LVGDVNI,
APVD IOAN. BAPT. DEVENET.
In vico Mercatorio, ſub ſigno Crucis.

M. DC. LI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS

PATRIBVS, ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ECCLESIÆ GALLICANÆ.

IOANNES COLVMBI Societatis IESV.

N*ON mirabimini, quòd Ioannem Monlucium vobis ſiſto, & iterum hæreſi purgo*, Illuſtriſſimi Patres. *Hoc debeo & vobis, & mihi. Epiſcopus quondam ille fuit, & quidem ſuis temporibus Gallicanorum ferme primus ſcientia, dicendi vi, ſapientia, rebus geſtis: ego autem pro mea in veſtrum Ordinem perpetua veneratione aliàs ſuo volumine oſtendi turpis & importu-*

Digitized by Google

næ ab inuidis magnoque nomini aduerſantibus viris calumniæ eſſe, quòd accuſatus fuit olim hæreſeos. Eſt potiùs quòd emiremini, quòd etiam queritetur non Gallia, ſed omnis Europa impoſitam mihi rurſus neceſſitatem dicendi de fide & religionibus tanti antiſtitis. Gabutius & Catena ignoti in Gallia homines venerunt ad nos de media Italia, qui dicerent damnatum quondam Romæ à Pio quarto, & inter hæreticos in Gallia repoſitum mandato Pij quinti. Turcam ille tamen, cùm viueret, pacauit Hungaris & Germanis: dedit Polonis pium regem, nequidquam contrà tendentibus hæreticis: ſanctiſſimam reginam firmauit Scotis: compoſuit Occitanos & Delphinates Hugonotos: hæreſim Gallicanam vel conſiliis compreſſit in conſiſtorio regio, vel rationum vi profligauit Poſſiaci, vel Caroli regis gladio per ciuitates cecidit: demum pro chriſtianiſſimis regibus Franciſco primo, Henrico ſecundo, Franciſco ſecundo, Carolo nono, Henrico tertio rem geſſit publicam dubiis temporibus non ſolùm per Gallias, ſed orator etiam in Italia, Thracia, Hungaria, Polonia, Germania, Anglia, Scotia. Quis accredat dicenti? quæ fortiſſimè ac religioſiſſimè geſta debuiſſent Epiſcopum ſanctiſſimis viris inſerere, ea non potuerunt iudicio prohibere Romano. Tantum odiis inimicarum nobis gentium inuidiæque datum eſt. Sed Romæ damnatum nego, in Gallia verò iubente Pio quinto ſcriptũ inter hæreticos etiam pernego. Pro ſe diceret ipſe ſi viueret: atque profectò qua orationis vi quondam fecit vt ferus Turca, quid enim memorem apud Chriſtianos geſta? vinculis ſolueret legatum Ferdinandi Romanorum & Hungarorum regis, ea vi probaret omnibus mortalibus

religiones

Digitized by Google

religiones ſuas & fidem. Et verò veſtra intereſt, patres Chriſtianiſſimi, *vt Ioannes Monlucius cenſeatur dicaturque catholicus, qui è veſtro cœtu pro antiquiſsimo noſtrorum regum more ad conſiſtorium per quinque deinceps reges adhibitus eſt: veluti è conſeſſu Gallicanorum præſulum accepiſſet, quæ per Europæos ferme omnes populos voce, conſiliis, exemplis ad diuinæ regiæque fidei firmamentum propoſuit & explicauit.*

EGO Ioannes Gayetus Prouincialis Societatis IESV in Prouinciâ Lugdunenſi, iuxta poteſtatem ab admodum R. Præpoſ. Generali mihi factam, facultatem concedo, vt liber inſcriptus quòd Pius IV. non damnauerit hæreſeos Romæ Ioannem Monlucium Epiſcopum, &c. à P. Ioanne Columbi eiuſdem Societatis Theologo compoſitus & ab eiuſdem Societatis Cenſoribus approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas ſigillo noſtro munitas, & manu noſtra ſubſcriptas dedimus Lugduni die 21. menſis Iunij Anni 1650.

IOANNES GAYETVS.

QVOD

QVO'D PIVS IV.
NON DAMNAVERIT
HÆRESEOS ROMÆ

IOANNEM MONLVCIVM Epiſcopum Val. & Dienſem, neque Pius quintus damnationem eius à quarto Romæ latam promulgari curauerit in Gallia.

MVLTI neque obſcuri & ignobiles illi ſeu hiſtoriarum, ſeu aliarum rerum ſcriptores fuerunt hactenus in Gallia, qui Ioannem Monlucium Valentinum & Dienſem Epiſcopum traderent ſenſiſſe cum hæreticis: nemo vnus fuerat, qui Romæ damnatum hæreſeos à ſummo Pontifice diceret; non Franciſcus Belcarius Peguillo, non Scipio Dupleixius, qui fidem viri excutiendam & religiones exagitandas videntur ſibi præ cæteris accepiſſe. Nuper inuentus eſt Henri-

Digitized by Google

cus Spondanus, qui hoc aſſereret. Edidit is tres tomos continuationis annalium Cæſaris Baronij à ſe olim redactorum in epitomen,& in ipſorum tertio tradidit damnatum hæreſeos Romæ à Pio quarto; atque ex ea damnatione habitum pro hæretico in Gallia, agente Pio quinto. anno milleſimo quinquageſimo ſexageſimo octauo numero viceſimo ſexto ſic locutus eſt de Pio quinto: *Qui epiſcopi Romæ damnati fuerant hæreſis à Pio quinto, Vticenſis, Valentinus,* &c. *eorum damnationem in Gallia promulgandam curauit.*

Vult ille quidem videri non inimicus Ioannis, aliquando etiam non immerentem concelebrat magnis laudibus: anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto numero tertio vocat, *virum doctiſſimum:* ſeptuageſimo ſecundo numero viceſimo primo ita de eo ſcribit; *Erat iudicio in rebus politicis & ſermone, & ſcriptione ad perſuadendum efficacibus præſtans, ac multis legationibus obitis illuſtris.* Sed cùm de viri religionibus dicere locus poſtulat, non obſcuris agit conuitiis; & nonnullos ante ipſum ſcriptores ſecutus, detorquet eius verba in Hugonottorum errores. In conuentu quem Franciſcus ſecundus rex non multò ante mortem habuit Fontebellaquæ omnibus eorum temporum hiſtoriis celeberrimum,Monlucius epiſcopus oratione vſus eſt omnino recta in fide, atque (vt ipſe quidem exiſtimabat) neceſſaria.Quoniam initia, & incrementa Gallicanarum hæreſeon magnam partem repetebat ex corruptis nonnullorum de omni hominũ ordine moribus, Spondanus anno milleſimo

quingen

quingenteſimo ſexageſimo dicit Catholico epiſcopo minùs dignam fuiſſe: quaſi non ſuſtineat nomen epiſcopi Catholici, & ad hæreticos is antiſtes accedat, qui apud regem (cùm rem flagitare putat) Catholicorum aut etiam de clero hominum ſçelera recitat.
Tum præterea Monlucius agens de pſalmis Dauidis, 2
qui per vniuerſam pene Galliam ſermone vernaculo celebrabantur, aſſeruit (quando efflictim amabantur à nobilibus maximè viris) non eſſe abiiciendos, & hortatus eſt reginas matrem & nurum, vt, profanis cantionibus tota familia prohibitis, iuberent eos adhiberi ad cantum: hîc enimuero ſtomachatur Spondanus, & interpretatur voluiſſe in regias aures inducere Marotianas & Bezanas cantilenas: vt ſi ſoli Marotius & Beza nebulones hæretici, non autem Catholicorum etiam aliqui poëtarum eos pſalmos Gallicanis verſibus reddidiſſent. Sed parua hæc ſunt illorum comparatione, quibus è Francis primus aſſeruit & Romæ damnatum hæreſeos epiſcopum, & agente Romano pontifice habitum in Gallia pro damnato. Et igitur qui ceteris Monlucianæ fidei criminationibus olim apud nos iactatis ſingulari libro reſponderim, iſtas quoque à Spondano ad nos ex Italia nuper
delatas refellere nunc ſuſcepi. Hoc debeo nomini 3
tanti antitiſtis, hoc Caroli Iacobi Leberonij epiſcopi ex viri ſorore pronepotis amori, hoc Monluciorum & Leberoniorum inconcuſſæ in Chriſtiana fide firmitati, hoc veritati potiſſimùm & Franciſci primi, Henrici ſecundi, Franciſci ſecundi, Caroli noni, &

Digitized by Google

Henrici tertij regum noſtrorum, qui virum ad omnia ferme conſilia admouerunt, & plurium etiam autorem habuerunt, caſtiſſimæ ſemper de religionibus & pontificum Romanorum veneratione famæ. Et verò ſi falſa non ſunt, quæ Spondanus retulit, falſus ipſe fuerim neceſſum eſt, quando Monlucium non fuiſſe hæreticum ſcribebam l.4 de rebus geſtis Valētinorum epiſcoporum; & poſtea ſuo volumine multis euincere tum conabar, cùm Spondanus edebat ſua.

4 At enimuero ſi Pontificium Romæ tabularium ſuis omnibus chartis inſtructum eſſet, rem ego quidem vno verbo conficerem; nam ex Pij Pontificis vtriuſque tabulis ea vniuerſa intelligeretur: nunc illorum temporum chartis defectum eſt, vt ad me ſcripſit anno huius ſæculi quadrageſimo tertio die vigeſima tertia Decembris Honoratus Niquet pro Gallicana Societate noſtra librorum Romæ cenſor. *Non extant,* inquit ille, *acta conſiſtorialia ab anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo ad annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum ſecundum. Hoc habeat certum reuerentia veſtra in aſſerenda illius Epiſcopi innocentia.* Sed neque adhibere poſſum teſtes oculatos rerum, quas nunquam extitiſſe contendo. Igitur, quod poſſum, id efficiam: principio illa refellam, quæ Spondanus in ſuorum confirmationem attulit; deinde docebo ita Gallos cum pontificibus Romanis agere conſueſſe, vt res quæ aduerſus Monlucium epiſcopum geſtæ feruntur, non potuerint factæ intelligi.

5 Spondanus eorum quæ ſcribebat autores recitauit

duos,

duos, illoſque Italos, Hieronymum Catenam & Antonium Gabutium; neque alios habuit quos afferret, vt ipſemet profitetur in literis ad Carolum Iacobum Leberonium epiſcopum Valentinum. *Eorum,* inquit, *autores quæ ſcripſi anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo habentur in margine, rem enim tantam ego quidem nunquam ſine teſtibus prodidiſſem literis. Sunt ſcriptores de vita Pij quinti pontificis, quorum alter Hieronymus Catena ſcripſit Italicè, alter Antonius Gabutius Barnabita latinè.* Hactenus ille Pariſiis anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo die viceſima quinta Iulij. ſapiens veritatis indagator exiſtimauit, quando Duplexius, Peguillo, & alij Gallicanarum rerum hiſtorici hominem vulgò damnant hæreſeos, ſe ad communiſſimi rumoris fontes Gabutio & Catena ducibus perueniſſe. Verùm hîc ego quidem vehementer emiror ab hominibus Italis iſta proferri de Monlucio in Gallia epiſcopo, & maximè pontificij aduerſus ipſum edicti promulgationem in Gallia, quod nemo Gallorum fando audiuit, nemo legit aut vidit. taciturum, ſi habuiſſet, putas Belcarium, tacituros alios in illa non ſinceritate, dicendique libertate Francorum, ſed accuſatione Monlucij, minutiſſima perſecutos? Demiror autem etiam vehementiùs Spondanum & Gallum, & in Gallia, in eaque Galliæ parte Apamiarum epiſcopum, quæ Blaſium Monlucium magno ſuo commodo vidit, non ſine præſidio Ioannis antiſtitis Valentini fratris, hæreticos profligare, cùm Gallos non habeat, Italos

aduocare ſibi autores illius quæ profectò in media Gallia & in regis oculis fieri debuit, promulgationis edicti aduerſus epiſcopum regi cariſſimum, omniumque ipſius conſiliorum participem.

6 Inquies: rei à pontificibus Romanis geſtæ quos autores afferas certiores iis, qui de ipſorum vita ſcripſere Romæ, vbi ſedebant, aut in regionibus vrbi per Italiam proximis? putas antè illi quàm ſcriberent non attentè ſingula cogitaſſe; non vidiſſe ipſos ſcribenda, vel ab iis qui viderant non accepiſſe; non ad cetera, quorum oculatos teſtes habere ſibi non poterant, veris ſeu tabulis ſeu argumentis perueniſſe? profectò tanta eſt Pontificum Romanum maieſtas, vt de iis falſa dubiaue qui mandat literis, ſuam magis ſtultitiam, quàm illorum ornamenta ponat in libris. Hîc ego nolim agere ſummo iure, neque infinitam hominum noſtris temporibus ſcripturientium multitudinem exagitare, aut etiam oſtendere in libris de vita virorum principum ſcriptis ſæpenumero peccari amore aut odio; cùm res in ſummo illo faſtigio geſtæ non poſſint ad nos deſcendere, niſi plurimos ſeu homines ſeu populos multiplici vel opportunitate, vel damno contingant. Age quis patienter audiat dicentem ſuſcepta à Pontificibus Romanis aduerſus Monlucium, maximè vbi in Galliis facta fuiſſent publici iuris, ignorata à Valentinis & Dienſibus, quorum ille fuit antiſtes; à regibus Francorum, qui virum habebant in comitatu & conſiſtorio; à Gallis proceribus, quorum nonnullorum ex ſumma regum gratia

perpe

perpetuam inuidiam eſt paſſus:à Francis denique omnibus quorum certè aliquis vnus, vt aliud non afferam, inuolaſſet in Epiſcopatus Valentinum & Dienſem. Vniuſne Gabutij, aut verò Catenæ,quia ſcribe- 7
bant de vita Pij quinti, interfuit ſcire damnatuſne fuerit Romæ à Pio quarto Monlucius, & Pij quinti mandatis habitus pro damnato in Gallia;nō plurium clariſſimorum virorum, qui ad Epiſcopales infulas toto regio comitatu frequentiſſimi anhelabant, vt ex edicto Pontificio vacuas tenderent occupare;non Caroli regis,qui vtrumque illum pontificem & pro ſolita noſtris regibus pietate venerabatur, & pro temporum grauiſſima ab Hugonotis iniquitate colebat inſigni quadam & præcipua religione, vt à ſuo comitatu dimitteret hominem hæreſeos ab ipſis damnatum; non denique hæreticorum, qui tanto nomine gloriati maximum ad ſuas res momentum ex ſummi viri ad ſe acceſſione factum ſenſiſſent. Quid? ſi ab illis diligentiſſimis ſcriptoribus petam, vnde rem habuerint,quis è conſiſtorio pontificis Romani, mediaque Gallia vniuerſam ad ipſos detulerit,putas illius (& grauiſſima ea eſt) allaturos autorem? certè in libris ſuis non poſuerunt vel vnum teſtem, ex quo aliquam fidem hactenus inauditæ conciliarent: vt ad inſignem ſcriptorum confidentiam ſtupere ſatis non poſſim, qui volunt ſibi vnis hominibus exteris, tacente omni Gallia, credi à nobis de re geſta in ipſa Gallia. Sed doctoribus Italis, vt in Galli præſulis 8
negotio licuerit ignorare innocentiam epiſcopi Del-

phinatis, & ab alio quopiam viro, fortaſſis etiam Gallo, excogitatam hæreſim ac hæreſeos à pontificè Romano damnationem accipere, acceptamque mandare literis: Spondano quoque licuerit ex Italia teſtes vniuerſa Gallia tacente ſibi ſumere rei in ipſa eadem Gallia geſtæ. Profectò ſi totam à ſuis fontibus repetamus, inueniemus Pium quartum egiſſe quidem Romæ de fide Monlucij epiſcopi, ſed poſt inchoatum, & inaudito viro maturatum iudicium deſtitiſſe à ferendo edicto, omnemque cauſam aduerſariorum inuidia & odiis ceptam, agente Carolo rege omnino euerſam fuiſſe. Vide quàm certus veritatis ad dicendum accedo: poſſem multos neque leues adhibere mihi teſtes, placet vnum tamen adducere, cui neque Spondanus negare fidem audeat; Spondanum ipſum habeo autorem eorum quæ dixi. Ita ſcripſit anno decimo tertio ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimum numero viceſimoprimo.
9 Pius quartus *pontifex vbi primum audiuit de pace Gallica, culpam in cardinalem Caſtilionæum qui depoſito nomine epiſcopi comitem ſe Bellouacenſem nominabat, & in nonnullos alios epiſcopos hæreſis ſuſpectos conjiciens, ſpeciale dedit mandatum ſeptimo idus Aprilis cardinalibus S. R. E. inquiſitoribus generalibus, vt quoniam audiſſet nonnullos etiam prælatos in errores hæreticos prolapſos eſſe, omnes & ſingulos eorum, etiamſi epiſcopali vel cardinalatus dignitate prædit eſſent, & in locis vbi ſecta Luterana inualuiſſet, & ad quos non adeò tutus acceſſus eſſet habitarent, procedentes eos citarent Romæ, vel in confiniis oppidorum Eccleſiæ,*
ad

ad comparendum perſonaliter ad certum diem; & ſi non comparerent, procederent vſque ad ſententiam, quam ipſe in cōſiſtorio ſecreto pronuntiaturus eſſet. Quod mandatum exequentes cardinales, edicto citarunt quoſdam epiſcopos ad eluendum crimen hæreſeos, &c. *In literis Philiberti cardinalis Burdezerij traditur in conſiſtorio diei viceſimæ ſecundæ Octobris præſentis anni cardinalem Alexandrinum magnum inquiſitorem*, &c. *Concluſiſſe in condemnationem & priuationem Valentini*, &c. *Burdezerio autem qui aderat pro omnibus intercedente, quouſque de ijs certior factus eſſet rex Carolus, ampliatum eſſe à pontifice*, &c. numero autem quinquageſimo: *Henricus Clutinius Oiſellius* regis legatus, & regis mandato agens *peruicit tandem, vt iudicialia contra epiſcopos acta ceſſarent.* Hæc Spondanus: quæ ſi ſunt vera, certè 10
pontifex non damnauit hæreſeos Monlucium, cuius iudicium in medio curſu ſuſtinuit. Anne ergo tibi videtur is eſſe ille hiſtoricus, qui in ſequentibus aſſerit tum fuiſſe damnatum, & eius damnationem poſtea promulgatam in Gallia? ſcilicet hoc voluit dare Catenæ & Gabutio hominibus Italis, vt contra omnem & Galliæ, & ſuam fidem ſcriberet. Sed quæ res mouit pontificem ad incipiendum illud iudicium? *Audiuit de pace Gallica*, loquitur Spondanus, *& culpam in epiſcopos hæreſis ſuſpectos coniecit.* Audio: verùm quid hîc hæream, timidique nautæ in morem fugiam alto me committere, & littus legam inglorius? nulla hiems timenda, nulla procellarum vis: firma ſunt latera nauis, certa ſibi tabularum compages. age,

omnia diſputationis vela pandamus. Hoc Romanum omne iudicium etſi à pontifice non ſemel aliàs (vt omnes hiſtorici habent) ſuboffenſo Gallis exercitum eſt, ego tamen non dubito longè alios ab ipſo autores habuiſſe. Nam pax Hugonotis à Carolo rege data anno ſexageſimo tertio menſis Martij die tertio decimo eſt ea ſcribente Spondano, quæ fecit vt de accuſando hæreſeos cum aliis præſulibus Monlucio pontifex cogitaret. itane verò? ô rem ſummo Chriſtianorum paſtore dignam & pietate, quam & omni vita
11 & nomine etiam præferebat Pius quartus! ſcilicet nunquamne ante illam diem, aut verò poſt Carolum, non irato neque indignante pontifice reges noſtri pacem Hugonottis dedere? non, puto, pacem oderat Pius, qui Chriſtum, cuius locum in terra implebat, nouerat hominibus cùm naſcebatur dediſſe pacem, & angelorum vocibus feciſſe publicam. At quæ pax illa: nociua certè erat Eccleſiæ aut Galliæ, vt pontifici Romano diſplicuerit, & viſa fuerit inita non ſine culpa ſuorum autorum? Galliæ potiùs & Eccleſiæ Gallicanæ omnino neceſſaria. Franciſcus Guiſiæ dux vnus maximè omnium vtramque conſiliis & manu vir ſuorum temporum fortiſſimus ſuſtentabat. Is morti proximus, referente Dupleixio, anno ſexageſimo tertio numero decimo ſeptimo *magnis precibus egit apud Catarinam matrem regis quæ publica moderabatur rei, vt regnum pace componeret, haberetque pro hoſtibus & turbamentis imperij Gallicani eos omnes qui ipſam abiicerent.* Et verò Hugonotti miſcebant omnia per

vniuer

vniuerſam Galliam; Anglos non paucarum & om-
nino neceſſariarum arcium iam inuaſores in belli aut
potiùs (vt arbitrabātur) prædæ ſocietatem vocauerāt;
plurimas latè de populabātur prouincias; ductitabant
exercitus non inferiores regiis; Guiſium à me modò
laudatum manu Poltroti nebulonis occupatum per-
emerant: quis in illa non turbatione, ſed ruina impe-
rij & religionum reiiceret pacem? vt non difficile ſit
videre quibus ea diſplicuerit, ſcilicet non Pio ponti-
fici quarto, ſed *hoſtibus & turbamentis imperij Galli-
cani*, vt loquebatur Guiſius dux, & iis exterorum
hominum qui antiquo gentis noſtra odio è Gallorum
clade cogitabant creſcere, optimoque pontifici res
prorſus aliter quàm habebant, cum perpetuo Gallici
nominis conuitio, recitabant. Sed hoc poſtea magis 12
aperiam, & fuſiùs exequar: nunc amabo ſi per hære-
ticorum vim & potentiam neceſſaria regno & Eccle-
ſiæ pax non erat, quomodo addebatur referente
Spondano ſic apud Francos inualuiſſe *ſecta Luterana*,
vt ad eos Eccleſiaſticis iudicibus *non adeò tutus acceſſus*
eſſet? ô exterarum gentium aduerſus Chriſtianiſſi-
mum regnum fraudes ſibi ſemper contrarias! ſi ne-
ſcis ſentiebamus pacem neceſſariam nobis eſſe, non
quia ſic omnia euertiſſent Hugonotti, vt ſuus non
eſſet locus ſacris iudicibus, ſed quia Germanis & An-
glis auxiliaribus exarmandi erant. Ipſe Carolus rex
Pio quarto pontifici, Ferdinando Germanorum impe-
ratori, Philippo Hiſpaniæ & Maximiliano Romano-
rum regibus, ac Philiberto duci Sabaudiæ de ea per

Digitized by Google

legatos agentibus reſpondit ſcribente Belcario *pacem qualem qualem potuit iniiſſe, vt externi* (adde, & hæretici) *milites è Gallia pellerentur.* Nam quid afferam ceteros Gallicanarum hiſtoriarum autores? accipe vnum Belleforeſtium: ita ſcripſit l.6. capite 99. *Edictum de pace promulgatum fuit ob neceſſarias cauſas: totum ſcilicet regnum externis militibus plenum erat, qui deprædabantur populum tanta vi, tamque certo ac publico furore, vt neque negotiatio, neque opificium, neque ipſa agrorum cultu-*
13 *ra cuiquam ferme libera eſſet.* Atque igitur vehementer pupugere Carolum regem iſtæ aduerſariorum per os pontificis voces, ſicuti legere eſt in mandatis quæ ſuo Romam legato dedit. Vt enim cetera prætermittam, ſcripſit magnam ſibi Chriſtianiſſimo regi, magnam Chriſtianiſſimæ Francorum genti iniuriam fieri & inſignem calumniam inferri, cùm dicitur non licere in Gallia ſacris iudicibus quærere de epiſcoporum hæreſi, neque tutum ipſis ad eam acceſſum eſſe: quaſi rex vel faueret, vel obſiſtere ſatis non poſſet reis; quorum hoc imbecillitatis eſſet ſummo Chriſtianorum regum indignæ, illud etiam Franco nomini, quo pontifices Romani aduerſus hoſtes ſuos hactenus ſtetere, non ferendum. Sed enimverò quis igitur ad Pium quartum detulerat ſacros iudices non poſſe lege agere in Gallia ſine vitæ diſcrimine? quocumque enim is animo fuerit aliquando contra ipſam, certè numquam ego quidem crediderim aut cogitaſſe aut inferre Francis tam inſignem calumniam voluiſſe. An è Gallia ipſa trans Alpes penetrauerat,

Digitized by Google

uerat, & ad pontificem ferentibus ciſiis peruenerat nuntius? verùm à quo? Hugonotiſne? non puto: an à Catholicis? minus crediderim: contradicente Carolo rege aliunde profectò Romam delata eſt accuſatio. Vnde verò putas prodiiſſe? vnde! Vtopia, inquies, 14
fortaſſis aut Luſinia, certè non nobis inimica regione, quæ fidei Chriſtianæ ſanctitatem amabat in noſtris epiſcopis, & omnes ab iis errores depellere contendebat. Itane verò errores depellere ab epiſcopis? te hominem cæcum reique gerendæ ignarum, ſi credis cùm tempora ſic poſtulant, vt hoc fiat, vocandos Romam è Gallia ad iudicium. Audi Carolum regem: quis enim tanta in re mihi mage certus autor? *Nunquam factum vidimus*, inquit, *neque vllis retrò temporibus commiſit Francorum gens, vt qui noſtro huic imperio ſubiiciuntur, Romæ ſeu ipſi per ſe, ſeu etiam per alium ſtarent in cauſa fidei violatæ coram eius quæſitoribus.* Et alibi. *Noſtris etiam temporibus cauſæ epiſcoporum agitatæ ſunt in Gallia, Poncherij epiſcopi Pariſienſis, Apamiarum epiſcopi, & Angeſti epiſcopi Nouiodunenſis: atque ſi quempiam eorum pontifices aliquando vocauere Romam ad dicendam cauſam, ille vt in ordine iudiciorum interuerſo prouocauit ad parlamentum aut conſiſtorium regis:* ferre ſcilicet, addit, ab vltima ſæculorum memoria conſuetudinem, vt epiſcopis pollutarum religionum reis ius dicatur in ipſa Gallia. Multa alia ſubiungit 15
Carolus, ſed calamum ipſe ſuſtineo, neque ad rem quam ago neceſſaria ea ſunt; manumque his etiam ſcribendis abſtinuiſſem, ſi Spondanus (vt decebat

non inimicum hiſtoricum, ſuo loco ea adieciſſet ad criminationem Monlucij quam recitabat. At enimuero, ſi ita feciſſet, euanuiſſet omnis quam ſecutus non obſcurè videtur in Ioannem epiſcopum calumnia, neque ſibi iſta in parte contrarius ſubiunxiſſet anno illo ſexageſimo octauo ſupra milleſimum quingenteſimum fuiſſe damnatum Romæ à Pio quarto. Nam vbi Carolus ea ſcripſiſſet Romam, quis arbitretur vt Francorum hoſtes perdurarent in conuitio, & obſtinarent allatrare fidem Catholicam alioqui peſſum ituram in Gallia, ſapientiſſimum pontificem perrexiſſe in iudicio? ſi porro egiſſet, Monlucius (quod in more Gallicano poſitum aiebat rex) omnino prouocaſſet ad regium conſiſtorium. Hoc quia non fecit, etiam Pius Pontifex ab omni iudicio ceſſaſſe dicendus eſt. Et mehercule toto illo iudicio non id agebatur, vt vel Monlucius, vel quis alius Gallicanorum patrum Romæ pronuntiaretur hæreticus: alia cogitabantur omnia ſpecie ſacrarum religionum. Laruatam appendicem iudicij & laciniofum auctarium ea fuiſſe docent, quæ totis conſeſſibus per inſigne facinus
16 iactata non ignoramus. Nam cuius mentis fuit, aut vnde profecta eſt illa Ioannæ Nauarræorum reginæ accuſatio, & ſub intentatione deiectionis è regno omnique alia ditione ad cauſam Romæ dicendam vocatio? an ſincerus integerrimæ ſanctitatis in fide Catholica amor faciebat, vt in eo ipſo conuentu à quondam amiciſſimo pontifice peteretur memoria Antonij regis Nauarræ paucis antè menſibus mortui,

eiuſque

Digitized by Google

eiuſque cum Ioanna ante annos decem coniugium
clamitaretur illicitum ? proh ſanctam fidem ! quid
non audet protrahendorum finium cupiditas, & alie-
narum ditionum ambitioſus amor ! ſed rem magis
non premo. Tacere non poſſum, quod Carolus rex
annotauit, cùm multi è Germania principes ante Ioã-
nam eiuraſſent fidem Catholicam, non fuiſſe vllum
eatenus ex ipſis vnum qui Romæ fieret reus hæreſeos,
& ad cauſam de fide dicendam vocaretur in vrbem,
ſub intẽtatione deiectionis è ſua ditione & principa-
tu. Profectò ſcilicet quia ſub nomine reginæ ipſum
petebatur Nauarræorum regnum, & plurima quæ
per varias Galliarum prouincias ditio Ioannæ erat : vt
quæ bella per omnem iniuriam Hugonotica manu
inferebantur Chriſtianiſſimo regi, iam inferrentur
iure, cùm peterentur armis regiones, è quibus Apo-
ſtolico edicto depulſa fuiſſet. hoc, ſi neſcis, ſpectabat
illud iudicium optimo pontifici propoſitum ſpecie
ſanctitatis & fidei ſeruandæ in Gallia. vt magis ea
falleret, adiunctum denique eſt acerbum & turpe
hoc in Monlucium Carolo regi ad omnia ferme con-
ſilia autorem elogium. Scilicet ſi religiones epiſcopo- 17
rum noſtrorum à Pio quarto curari voluiſſent, debue-
rant egregij homines multis antè annis ſuggerere
pontifici vocandos è Gallia Romam Spifamium Ni-
uernenſem epiſcopum, Sanromanum archiepiſco-
pum Aquenſem, & nonnullos præſules alios, quorum
hæreſis & frequenti populorum conuitio & ipſa eo-
rum antiſtitum irreligioſa impiaque palam omnibus

Digitized by Google

profeſſione neminem iam latebat diu. Hoc quia non
egerant, quia Spifamio nullus iudex dixerat diem
Romæ; quia tunc primùm epiſcopis Gallicanis in-
tentata de fide Catholica eſt Romæ lis, cùm de Na-
uarræo regno proſcribendo, ceteraque præterea per
Gallias ditione tollenda à Ioanna regina primùm agi
poſſe videbatur ſecundum mortem Antonij coniugis
viri & fortiſſimi, & è regio ſanguine Francorum pri-
mi, nemo tam cæcus eſt, qui non videat non epiſco-
porum fidei ſinceritatem curatam, ſed eius nomine
odia neſcio quorum hominum in Galliam exercita, &
Ioannæ Nauarræorum reginæ excidium poſtulatum.
Quod vbi perficere ſe non poſſe vidiſſent contrà ni-
tente Carolo, & omnia extrema Pio pontifici mini-
tante, ſicuti à Ioannæ reginæ ditionum proſcriptione
inſtituenda, ita à perficiendo Ioannis epiſcopi iudicio
18 ceſſatum omnino eſt Romæ. Sed quod per religionis
ſpeciem pontificio iudicio confici non potuerat ſuper
Nauarræo regno, per ſummam ſacerrimi facinoris
importunitatem poſtea nouo auſu in Hiſpania tenta-
tum eſt. Ioanna regina & Caſtilionæus cardinalis,
quandoquidem caluiniſmum publicè profitebantur,
pulſi Eccleſia, vtque vulgò dicitur excommunicati
ſunt: nihil aduerſus cæteros præſules decretum, nihil
aduerſus matrimonium Ioannæ cum Antonio non
multùm ante defuncto. Abiit ergo Pariſiis quò per-
fugerat regina iam omni metu ſoluta, & è cetera
Gallia excedens ſe reddidit ſuo Bearno. Quid verò
tum? audi Bulengerum l. 2. hiſtoriarum: *Id temporis*

prodita

prodita coniuratio, qua in exitum Ioannæ Nauarraæ & filiorum eius ibatur. Ea Podio in Bearni pago cum Henrico & Catarina filiis agebat. Philippus Hiſpaniæ rex Barcinone per ſpeciem belli Africani delectum militum habebat. conſilium vnde ceperit ignotum, ſed tamen initam eſt de tribus illis capitibus, in quibus quæſtio regni Nauarræ vertebatur, Hiſpaniæ regi prodendis, vt ad Inquiſitionis tribunal ſiſterentur. Hactenus Bullengerus. Et dubitabis illos feciſſe, vt ad ſuum iudicium reginam vocaret pontifex Romanus, qui eo gradu deiecti cogitauerunt ad comparandum Nauarræum regnum captam ſiſtere Hiſpanis de fide Catholica quæſitoribus? nolo ego rem fuſiùs ediſſerere: tu ex ſuperioribus intelligis falſum omnino eſſe quod Gabutius & Catena porro afferunt de Pio quinto; curaſſe vt Monlucij per Pium quartum damnatio, quam nullam fuiſſe pluribus demonſtraui, promulgaretur in Gallia.

Ex eo autem hoc præterea reiicitur, quòd in Chri- 19
ſtianiſſimo regno & regiæ & pontificiæ literæ non antè in populos dimanant; quàm in regiam curiam delatæ fuerint, & ampliſſimis probatæ ſenatoribus. locus non poſtulat dicere ex quibus initiis cepta ſit res, aut qua vel regum noſtrorum, vel Romanorum pontificum voluntate perduret; quod Monluciana cauſa efflagitat, nunc aio fieri vniuerſa Gallia. ita omnis populus: ita viri ſeu nobiles, ſeu principes: ita rex ipſe ponit in publico vſu. quid referam omnem clerum? epiſcopi etiam atque cardinales Galli reſcripta & edicta pontificum Romanorum probanda de-

 ferunt.

ferunt ad ſenatores : atque id in cardinalium Gallorum iudicio, quos de ſuo collegio pro hæreſi deiicere Romæ inconſulta Gallia pontificem poſſe nemo neſcit, poſtea factum videbimus. Hoc verò ita fit, non quaſi regiæ & pontificiæ literæ vim de ſe non habeāt in Gallia; aut veluti ſapientiſſimi ſenatores per ſceleratiſſimum facinus & ſingularem ſtultitiam ſibi aliquid ſumant ſupra pontificem aut regem : ſed quia Franci arbitrantur intereſſe publicæ rei videre quid illæ in communes vſus afferant, antè in vulgus quàm emittantur. Igitur patria eorum lingua regiæ literæ verificari dicuntur, quandoquidem ad hoc vnum leguntur à ſenatoribus, vt intelligatur veræ ſint necne, & ab rege ac pontifice ſic datæ vt publica res poſtulat, quod ſicuti veros populorum patres vnum ſpectare non dubitant. Fieri ſcilicet aliquando ſentiunt, vt non tam ſponte ſua, quàm agentium precibus fatigati & inuitis ſuppares, priuilegia ferant aut leges. neque putant omnia ſeu ſingulorum hominum, ſeu populorum etiam in ſublimi illo venerandæ maieſtaſtatis ſacrario videre audireue poſſe; quæ ſi de propinquo noſſent, alia profectò omnia conſtituturos eſſe non dubitant. Iam ſi Pius quintus curauit fieri publici in Gallia iuris edictum, quo Monlucius Romæ damnatus fuerat hæreſeos, dicite homines Itali; dicite cuius curiæ ſenatoribus oblatum eſt, probatumue? ignorant Gratianopolitani, (& apud eos à me diu quæſitum eſt) qui dant iura Valentiæ & Diæ ciuitatibus Ioannis epiſcopi : ignorant Pariſienſes; &

accepiſſent tum volentes probaſſentque, vtpote quos
non ita pridem grauiſſimè offenderat Monlucius:
ignorant demum ceteri vniuerſa Gallia, vt ex eorum
cartulariis intelligitur. Quid verò miraris ignorare
ſenatores edictum pontificis, quod Gallia nunquam
vidit, fandoue accepit? ignorabat certè Carolus rex
cùm ſcribebat ſequentia: *Laudabilem zelum viri pro-
bantes & iam diu epiſcopi, & in epiſcopatu ſana catholica-
que docentis:* ignorabat poſt Carolum Henricus, quan-
do virum appellabat *ſacrorum apud Deum antiſtitem,
& maximæ apud Deum celebritatis, & eximiæ in ſeipſo
integritatis.* Neque enim vnquam ita locuti fuiſſent
ſapientiſſimi piiſſimique principes, ſi Apoſtolico pu-
blici in Gallia ſua iuris edicto ob hæreſim confixum
accepiſſent. Sed quibus iſta de Gabutio Catenaque 11
exteris hominibus ſcribit Spondanus in media Gallia
natus? is certè mores ſenatorum ignorare non po-
terat, qui epiſcoporum noſtrum iudicia extra Galliam,
Romæ quoque, facta non probant. Nobile fuit Pij
quarti edictum aduerſus Odetum Cardinalem Caſti-
lionæũ Bellouacenſem epiſcopũ. Fidem Catholicam
is eiurauerat palam omnibus; ſe negabat epiſcopum,
comitemque Bellouacenſem appellabat; itabat ad
Hugonottorum conuẽtus; vxorem duxerat, domique
ſuæ habebat. Ita agentem res poſtulabat pelli ab Ec-
cleſia Bellouacenſi, & ceteris ſacerdotiis deiici. Sed
quia Pius Romæ id fecerat (& S.R.E. cardinalis ille
erat) Senatores Pariſienſes de regia maieſtate ob ma-
nifeſtam hæreſim læſa, & populorum in illa epiſcopa-

Digitized by Google

lis officij conculcatione offenſionibus cognoſcentes, dederunt epiſcopis Gallicanis de omnibus aduerſus fidem Catholicam capitibus iudicandum. Quia verò res maxima contentione geſta eſt, omninoque ad Monlucianam facit, placet ipſam repetere ex arreſto, vt loquuntur, edicti apud Pariſienſes cameræ contra Sebaſtianum Tridonum ſacerdotem lato menſis Augusti die viceſima ſecunda anno quadrageſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, qui per veſaniam Caſtilionææ ſupparem, vt in Mariam Bruandetam enuberet, profeſſus fuerat caluiniſmum. In eo Talonus regius aduocatus ſic loquitur: *Cùm Cardinalis Lotharingus Remis ad concilium prouinciale coëgiſſet epiſcopos ſuæ prouinciæ, neque adfuiſſet epiſcopus Bellouacenſis Odetus cardinalis Caſtilionæus, communi epiſcoporum conſenſu decretum eſt, quando is pro manifeſta hæreſi excommunicatus fuiſſet Romæ à Pio pontifice, monendum eſſe regem de edicto pontificio. Hoc vbi factum fuiſſet, cauſa hominis acta eſt in iſta Pariſienſi curia, & anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono die vndecima menſis Martij pronuntiatus eſt reus læſæ articulo primo regiæ maieſtatis, & omnibus officiis & dignitatibus etiam Paris Frãciæ ſpoliatus. Quod autem ad commune delictum pertinet, ſuo in Eccleſia ſuperiori traditus eſt iudicandus, cum ea tamen clauſula quæ in altero arreſto diei decimæ ſeptimæ eiuſdem menſis legitur, quòd vt caueatur libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quas reges Chriſtianiſſimi videntibus Romanis pontificibus ſemper tutati ſunt, Curia nomine Eccleſiaſtici ſuperioris intelligit archiepiſcopum Remenſem*

metropoli

metropolitanum epiſcopi Bellouacenſis, qui vocatis ad iudicium ceteris ſuffraganeis, aut etiam ſi ita opus eſt proximis alienæ prouinciæ epiſcopis, dicat ſententiam de Odeto Caſtilionæo ſecundum canones Eccleſiæ, abſque eo quòd ipſe poßit extra Galliam damnari iudicariue. Hæc Talonus. Iam tu dic edictum, quod aſſeris Pium quartum tuliſſe Romæ contra Monlucium, fuiſſe promulgatum in Gallia, vbi ſenatores, vt omnino par erat, illud probaſſent; quando latum ab eo ipſo aduerſus cardinalem Caſtilionæum, quod acceperant ab epiſcoporum concilio, ne in oratione quidem ponere voluerunt; vtque cauerent immunitatibus Eccleſiæ Gallicanæ, prohibuerunt hominem extra Galliam iudicari de hæreſi.

Hîc etiam aliud eſt, quo videas concidere fabulam 13
ex Catena & Gabutio à Tranſalpinis regionibus per Spondanum ad nos allatam. Audi Gabutium: *Interim verò Galli ſeptem epiſcopi, nempe Vticenſis, Valentinus, Carnotenſis, Oloronenſis, & Laſcurenſis, alijque præterea duo occupabant etiamnum ſuas Eccleſias, etſi Romæ iam damnati erant hæreſeos: ſed eam damnationem in Gallia publicandam, illiſque de ſede deiectis alios Catholicos ſubrogandos Pius quintus curauit.* Iiſdem ferme verbis Catena ex Italico ſermone: ea ſi habent. *Pius quintus promulgari fecit in Gallia memoratum edictũ Pÿ quarti: inde factũ eſt vt damnati epiſcopi ſedibus ſuis moti fuerint, & pro iis conſtituti Catholici.* Itane verò Pius quintus deiecto Monlucio dedit Valentinis & Dienſibus epiſcopum catholicum? vide vt mendacium ſibi non

antiſtitem Valentiæ ad annum vſque ſeptuageſimum nonum, quo extremum diem obiit, neque ea ſede pulſum à Pio quinto vt fabulantur Catena & Gabutius peregrini homines; ac omnino ſuadent falſa eſſe, quæ de iiſdem affert, non antè apud nos audita, ſuper eius damnatione Romana, & damnationis publicatione Gallicana Spondanus.

Habeo etiam vnum aliquid ad comprobationem 25
eorum omnium, quæ tum iſto libro, tum aliis dixi de veris & caſtis religionibus Monlucij. duos affero teſtes, alterum hæreticum ſub nomine Zachariæ Furneſteri, catholicum alterum Iacobum Cuiacium. Ab vtroque accipies Ioannem Monlucium anno quarto & quinto ſupra milleſimum ſeptuageſimum longè poſt vtriuſque Pij tempora habuiſſe infulas Valentinas, & iam fuiſſe diu in maximo hæreticorum odio. Homo hæreticus, ſe Zachariam Furneſterum ipſe appellabat, exiſtimauit & literis prodidit Monlucium Carolo regi autorem fuiſſe Sambartolomeanæ per vniuerſam Galliam Hugonottorum cædis. Accuſationibus eius, & vehementiſſimæ ſunt, reſpondit Cuiacius ille toto orbe Chriſtiano conſultiſſimus iuris. Cui cùm Zacharias reponeret, omneſque in Ioannem calumnias rurſum ingereret, *paſquillum* (eſt eius vox) recitauit *Romæ factum* ad contemptum viri, in quo nihil legitur de ipſius erroribus, nihil de pontificis aduerſus eum edicto: contrà addidit has voces: *Nihil fuiſſet priuatim noſtris*, id. Hugonottis *optatius*, *quàm id*, ſcilicet profeſſionem hæreſeos *ab*

Digitized by Google

eo Monlucio *fieri, qui vel exemplo ſuo poſſet multorum ſtudia commouere ad cognitionem veritatis habendam, eoſque ab errore ad lucem Euangelij reuocare. ſed Monlucius honorum & dignitatum, quas ab plurimis annis poſ-*
26 *ſidebat, iacturam facere nolebat.* Quid aiebas pulſum Eccleſia Valentina iam ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo? quid edicto Pij quarti hæreticum, & pro damnato hæreſeos habitum, ab epiſcopali ſede deiectum ex mandato Pij quinti? audis nunquam fuiſſe hæreticum, & omnibus ſuis honoribus ac dignitatibus, atque ſcilicet epiſcopatu Valentino (nam is, vt puto, in illius honoribus & dignitatibus cenſebatur) nobilem & clarum floruiſſe annis etiam quatuor poſt mortem Pij quinti. At enimuero ſi ob hæreſim deiectus fuerat Eccleſia Valētina, ſi vniuerſa Gallia pro hæretico habebatur per edictum pontificis Romani, qua fronte Cuiacius iterum Furneſtero reſpondens ſcribebat & audire catholicum, & epiſcopum ſedere Valentiæ? tibine videtur locutus de homine qui & hæreticus eſſet, & à Romanis Galliſque pro hæretico haberetur, de quo exprobrabat Hugonottis in has voces: *Vos abruptis piiſſimi hominis ſtudiis actionibuſque inuaſiſtis Valentiam, ac ceteras partes regni huius conturbaſtis, confudiſtis, cruore compleuiſtis: intentaſtis etiam eidem Monlucio necem. Nec iam vt opinor, miratur ſe ab iis infamibus verbis impeti, qui ſuum ſitiere ſanguinem.*

FINIS.